

EDICTVM
REGIVM DE SUP-
PLICATIONIBVS OB
REM BENE ADVERSVS

MOSCHVM GESTAM.



CRA COVIAE IN OFFICINA NICOLAI
Scharffenbergij Typographi S. R. M.



STEPHANVS

DEI GRATIA REX

POLONIÆ, MAGNVS

Dux Lituaniæ, Ruffiæ, Pruffiæ, Ma-

fouïæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Kijouiæ,

Volhyniæ, Podlachięq̃, &c. Prin-

ceps Tranfylvanię.



VNIVERSIS & fingulis, Reue-
rendiffimis, Reuerendis, Magnificis,
Generofis Regni noſtri cōſiliarijs,
Dignitarijs, offitiales, nobiles,
atq̃ alijs ordinibus omnibus ſynce-

re & fidelibus nobis dilectis grati-
am noſtram Regiam. Reuerendiſſimi, Reueren-
di, Magnifici, Generoſi ſyncere & fideles nobis di-
lecti. Quod ſuperioribus proximis omniũ Reip:
ordinum comitijs decretũ fuit, vt bellum hoc an-
no contra magnum Moſcorum Ducem admini-
ſtraremus, curę nobis pro Regio noſtro munere,
noſtroq̃ in Rempub: ſtudio eſſe ſuimus: & con-
tractis exercitibus noſtris, cōparatoq̃ aliquo par-
tim contributionum pecunijs, partim (quod con-
tributionum pecunię minime ſatisfacerent) alijs

A ij

rationi-

rationibus belli apparatu, extrema Iunij die Vilna
ad copias nostras recensendas lustrādasq; Suirum
discessimus. Quo quidem in loco, multa nos dili-
gensq; deliberatio tenuit, quorsum nos potissimū
cum exercitibus nostris in hostem conferremus,
quidq; rectissimè & quam maxima cum vtilitate
Reipub: nobis ante omnia, bello aggrediendum
esset. Rebus verò omnibus in accuratam confide-
rationem vocatis, ex iudicio & Senatorū nostro-
rum & aliorū militarium virorum, qui nobis ade-
rant, eam tandem in sententiam descendimus, vt
primam nostrorū armorum vim ad Polociam op-
pugnandam conferri oportere concluderemus:
quod quidem ea arx ceruicibus Magni Ducatus
nostri Lithuanix, atq; adeò ipsi ciuitati nostrę Vil-
nensi, nulla alia firmiore munitione interiecta im-
mineret, ex qua nobis in alijs remotioribus Regni
locis occupatis, oblata occasione sūmam non mo-
do Lituanię diripiendę, sed Vilnę etiam adorien-
dę facultatem hostis habiturus videretur. Facien-
dum præterea necessario nobis visum est, vt cum
bellum hoc non modo rerum cōmunis Reipub:
recuperandarū causa, sed hostem quam longissimè
remouendi, grauiusq; coercendi gratia susceptum
habeamus, expeditionibus nostris in his potissimū
regioni-

regionibus maxima anni parte, aut frigoribus gra-
uissimis, aut imbribus assiduis militię infestis, tum
quoq; ob vastitatem difficillimis propinquiorem
aliquam sedem & quasi officinam, quam ipsa Vil-
na esset compararemus, ex qua quidem officina,
quam maxime integrum recentemq; penitus in so-
lum hostile ducere militem, & belli instrumenta
impedimentaq; minore cum negotio ad res cum
celeritate felicitateq; gerendas transferre posse-
mus, Quanta enim cū difficultate ac detrimento
Vilna illud facturi essemus, breui hoc itinere, quo
cum exercitu nostro pgressi sumus, magna nostra
cum molestia cognouimus. Accessit & illud, quod
hac arce qua firmiorem maioremq; hostis nullam
habet expugnata de alijs retinēdis hostem eò ma-
gis diffidere, & occupandis militem nostrum spe-
rare doceremus. Tantū verò abfuit, vt nos eò de-
terreri oportere iudicaretur, quod locus ille ab
omni opere belliq; apparatu firmissimus esse, per-
hiberetur: vt hoc potius de principio nobis recen-
tibus militum nostrorum viribus animisq;, quam
ijs militię diuturnitate afflictis tentandum existi-
mauerimus. Cum igitur nihil factu potius vtiliusq;
iudicatum esset, nos factis ab inuocatione opis di-
uinę auspicijs, Suiro primum Illustrem Nicolaum

Radziuil Palatinum Vilnensem, cum aliquibus equitum peditumq; Lituanoꝝ copijs, & certo Vngarorum numero, cum Generoso Gasparo Bekkiesz Polociam præmissimus itinerũ claudendorum causa, ne quid à magno Moscorũ Duce præsidij accederet, quo & si maioribus in magna etiam viæ difficultate itineribus peruenisset, tamen cum iam ante nostras ad hostẽ literas misissemus, quibus bellum ei diligenti cum explicatione causarũ denunciauimus, biduo antequam nostrę ille copie ad Polociam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immissum est: adhibita vero à Palatino Vilnensi, posteaquã p̄pinquo ad arcem loco consedisset, ea diligentia est, vt post nullius subsidij hostilis accessio facta sit. Nos cũ exercitu nostro & tormentis impedimentisq; bellicis, in sũma viarum iniquitate quam pluuiarũ assidua magnitudo, & horum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsequuti fuimus, interea à copijs nostris quę præcesserant, arces tres, Kosiana, Krasne, & Sithno per excursionem celeriter occupatę & incendio deletę sunt. Vndecima Augusti die proxime Polociam cum copijs omnibus nostris mouimus, & propinquo ad mēnia loco castrametati sumus, arcem ciuitatemq; tribus locis ob-
dione

dione cinximus, eademq̄ die locis omnibus muni-
tiones fossasq̄ propius hostem agere iussimus. Po-
stridie ciuitatem non mediocriter fossis & aggere,
& ppugnaculis & parietibus densissimis, tum quoq̄
præsidio firmam ea maxime de causa, quod illo
loco nos à propinquiore ad arcem accessu prohi-
beret, incendimus, ac totam paucis horis deleui-
mus. Tū longius munitionibus nostris ad ipsas ar-
eis portas promotis, omni conatu in arcem expu-
gnandam incubuimus. Ostenderat vi sua præpo-
tens Deus, in manu sua rerum gerendarum pote-
statem esse, & assiduas pluias pluribus diebus ita
immiserat, vt & operę militum maiorem in modū
impedirentur, & oppugnandi ratio etiam atq̄ eti-
am retardaretur, constitit tamen militi nostro ma-
ximis etiam in incōmodis singularis animorum ad
omnia obeunda tollerandaq̄ ardor, sic vt in sum-
ma pluuiarū iniquitate, altissimoq̄ luto nihil præ-
termitterent quæ ad oppugnandū pertinere pos-
sent, hostibus contra omnes nostros conatus acer-
rimis animis, & incredibili tormentorū vi, ita dies
noctesq̄ propugnātibus tanta peruicatia, & flam-
mas à nostris illatas extinguentibus, & vim omnē
depellentibus, vt se tormentorum telorumq̄ no-
strorum iniurijs certatim offerent, & succumben-
tibus

tibus alijs alij confertim succederēt, ostenderentq̄
Moschos arcium defendendarum vi atq̄ ardore
ceteris omnibus gentibus antecellere. Respexit ve-
rò tandem nos sua benignitate clementissi: Deus,
concessitq̄, vt quę prima nobis paulò serenior dies
vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium à mi-
lite nostro arci illatum sit, summa cum contentio-
ne atq̄ discrimine, cum se miles noster in fossas di-
mittere, & Polottam flumen superare, deniq̄ ar-
duum clium cui impositum propugnaculum erat
subire, & manibus materiam ignemq̄ inter infe-
stissima creberrimaq̄ hostium tela inferre necesse
haberent, quod incendium cū vehementius exar-
sisset, & munitionis anterioris, in quo Sclopetari-
orum domicilium fuit, aditum aliquem patefecif-
set, teneri militum nostrorum ardor non potuit,
quin per ipsam flammam irrumperet, atq̄ hostem
feriret, à quo tamen cæpto cum ppugnatione ho-
stili, tum maxime flamme vi reiectus est, paruo cū
nostrorum neq̄ amplius viginti septem pluribus
tamen vulneratis, hostium tamen ad Ducentorū
interitu. Dederat aliquam hostis eadem die de-
ditionis significationem, quam non seriam fuisse
animaduersum fuit, cū nouis se munitionibus flam-
mæ altitudine nostris conspectum eripiente cir-
cumdare